

A His actis, cum in uirorū excellentiū cœtu lauisset corpus, uestem præclarā indutus sacra dñs faciebat. Mos erat sacerdotū, principi iuxta aram hostijs deducis, astante rege, magna uoce audiente populo ualitudinē prosperā, omniaq̄ bona precari regi, iustitiā in subditos colenti. Narrare insuper particulatim regis uirtutes, in deos pietatem ac religionē, in homines humanitatē seruanti; tum illum continentiem dicere, iustum, magniq̄ animi, ueracē, liberalem, omneisq̄ frenantem cupiditates: pœnas insuper mitiores q̄ postularent errantis crimina exigentem, reddentem uerò gratiam meritis ampliozem. Plura his similia orans, tandem execrationē in malos exequēbat. Tum regem culpa purgans, omne crimen in ministros qui regi iniqua suaderent, conijciebat. His actis, sacerdos & regem ad foelicē dñs q̄ gratam uitam hortabatur, & simul ad bonos mores, agendumq̄ non quæ suaderent mali, sed quæ ad laudem & uirtutem maxime pertinerent. Demum cum rex tauro dijs sacra fecisset, sacerdos quædam ex libris sacris clarissimorū uirorum consilia actaq̄ proferebat, quibus rex monitus, imperio piē ac iustē illorū exemplo uteretur. Non autē pecunijs uacandi, iudicandiq̄ solum, legibus antiquis, sed deambulandi quoq̄, lauandiq̄, & cum uxore cubandi, omnisq̄ degendæ uitæ tempus erat lege præstitutum. Cibo uescebantur simplici, ut quorū mensæ nihil præter uitulum & anserem inferretur. Viniporandi certa statuta erat mensura, qua neq̄ farsiri uenter, neq̄ inebriari possent. Deniq̄ ipsorum uita ea tenebatur modesta, ut non à legislatore, sed à peritissimo medico ad seruandam sanitatē composita uideretur. Mirabile uidetur Aegypti reges nō ex uoluntate, sed ex lege uitā priuatam agere. Sed multo est mirabilius, illis neq̄ iudicādi, neq̄ pecuniam congregandi, neq̄ puniendi quenq̄ per superbiam, aut iram, aut aliam iniustam ob causam, licentiam permissam. Sed ueluti priuati tenebantur legibus, neq̄ id agere ferēbant, existimantes parendo legibus se beatos fore. Nam ab ijs qui suis indulgerent cupiditatibus, multa censebant fieri quibus, damna periculāq̄ subirent. Scientes enim sæpius se peccare, tamen aut amore aut odio aut alio

B animi morbo uicti, nihilominus aberrant. Qui uerò sapientia consilioq̄ uitam instituant, in paucis offendunt. Hac usi erga subditos iustitia reges, omnium beneuolentiam adeo affecuti sunt, ut nō solum sacerdotibus, sed singulis Aegyptijs maior regis quam uxorū filiorumq̄ aut aliorum principum salutis inesset cura. Etenim plurimi regum quos retulimus, ciuiles mores secuti, acta feliciter uita mortem obierunt, quoad ea legum disciplina permanit. Nationibus præterea uarijs subactis, plures possedere pecunias, regiones adificijs operibusq̄ ingentibus, urbes amplissimis donis sumptuosissq̄ decorantes. Sed ea quæ post obitum Aegyptij suis regibus præbuerunt, magnam populū erga principes beneuolentiam monstrant. Id honor mortuis impensus ostēdit. Nam cum quis regū decedit e uita, Aegyptij omnes mortem cōmuni mœstitia lugent, uestes lacerant, templis clausis forū non frequentant, festa solennia non agunt, dies septuagintaduos luto deturpantes capita, ac sindone subtus mammas cincti, unā uiri mulieresq̄ ducēti ferme aut trecenti circumambulanti bis in die, nouantes luctum, atq̄ ad numerum cum cantu uirtutes regis cōmemorantes. Cibis animantium, coctisq̄, ac uino, omniq̄ mensæ apparatu abstinent. Non lauacris, non unguentis, non stratis lectis, nō uenerēis utuntur: sed tanq̄ defuncto filio, per eos dies mœrentes lugent. Hoc tempore quæ ad pompam funeris spectant præparatis, postrema die corpus in arca conditū ante sepulchri aditum ponunt. Ibi breuiariū in uita ab rege gestorum de more recitant: uolentiq̄ facultas datur defunctum accusandi. Adstant sacerdotes, mortui rectē facta laudātes. populus, is permagnus est, qui exequias circumstat, applaudit ueris laudibus: in reliquis magno reclamatione tumultu, quo accidit, ut plures reges repugnante multitudine solito caruerint sepulchri honore, ac magnificentia. Is timor coëgit Aegypti reges iuste uiuere, ueritos